

## Articulus IV.

## DE BONI PASTORI CARITATE.

## § I. — De hac virtute generatim.

SUMMAE RERUM. — 25. De eius in Pastore peculiari necessitate. — 26. Eius fontes quae et quanti momenti sint. — 27. Pastoralis charitatis generales qualitates quae.

25. — De huius virtutis in Pastore necessitate disserere vix opus est; enimvero *si per alias virtutes formam sanctitatis accipimus, per ipsam charitatem nos quasi mirabili decore vestimus*<sup>1</sup>; idcirco, quamquam caeteras virtutes in Pastore necessariae sint, ut charitas tamen primas inter illas obtineat partes decet. Secus, potiusquam christiana, pagana fideles moderarentur ratione, et ab his qui, ex conscientiae officio, ecclesiastice eos regere tenentur, saeculari more ducerentur, quod prorsus nefas iniustumque est. Idcirco, *nos quos pastoralis curae constringit officium, diligamus filios nostros, circa nos copulemus affectu; hoc amore liquefiant boni corda Rectoris*<sup>2</sup>. Haec, profecto, est spiritualis meta ad quam Pastores animarum, alacri animo, prudenti consilio, perseverantique debent intentione festinare<sup>3</sup> ut, suae perfectionis bravium apprehendere queant<sup>3</sup>; Pastoribus praesertim dictum est: *Discite subditorum matres vos esse debere*<sup>4</sup>. Enimvero Christus Dominus qui sibi imperium, iudicibus iustitiam, Apostolis verbi praedicationem commisit, Praesulibus tamen caritatem, uti virtutem propriam tribuit: et Servator Noster, antequam Apostolorum Principi Ecclesiam committeret, nil aliud nisi si diligeret rogavit. *Non, enim, otiose [D. monet Bernardus] toties repetitum est, Petre amas me in commissione ovium, et ego quidem id significatum perinde puto ac si illi dixisset Iesus: Nisi testimonium perhibente tibi conscientia quod me ames et valde perfecteque ames, hoc est plusquam tua, plusquam tuos, plusquam et te, ut huius repetitionis meae munere impleatur, neque suscipias curam hanc, neque te intro mittas de ovibus meis pro quarum bono sanguis utique meus effusus est.*<sup>5</sup> *An amet Petrus [D. commentat Gregorius] a Redemptore tertio*

<sup>1</sup> S. Gregorius Magnus, in *I Reg.* lib. V, cap. 3.

<sup>2</sup> Id. *Epistolar.* Lib. VI. Indict. 14. Epist. 64. *Ad Dominicum Episcop.*

<sup>3</sup> S. Laurentius Iustinian., *De Instit. et Regim. Praelator.*, cap. 13.

<sup>4</sup> S. Bernard., *Sermo 23, in Cantic.*

<sup>5</sup> *Sermo 76 ibid.*

*interrogatur: primo ut per amorem fortia agere studeat; secundo ut in contemplando alta cognoscat; tertio ut perfectae charitatis affectu erga proximum ferveat*<sup>1</sup>. Iure, itaque, propria Pastoris virtus charitas dicitur, et quamvis multa quoque alia ipso necessaria sint, attamen si caritate careat, nil plane firmum, nil solidum, nil vere sanctum, vere pium, vere divinum, sed infandum tantum malum animabus sibi [miserrimo in modo] comparabit. Dum, enim, quod sine caritate agitur nihil prodest, quidquid vero ex caritate perficimus, quantumcumque etiam parvum sit et despectum, totum efficitur fructuosum; *cura disciplinae dilectio est*<sup>2</sup>. Hac virtute, *quae candor est lucis aeternae et speculum sine macula, Dei maiestatis et imago bonitatis Illius*<sup>3</sup>, pastorale vivit regimen, quod secus perit! — Ut vero quo altior fons est, vehementius aqua erumpit, ita utque ardentior charitas, regiminis munus uberius expletur; nam ipsa adeo fidelium cor dulciter devincitur, ut quo volumus facile pertrahamus. Magistra, igitur, bonorum omnium caritas, quae nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, ita Pastoris corda exercent ac corroboret ut christifidelibus nihil grave, nil difficile, sed totum fiat dulce quod agunt. In paterna maternaque charitate, o Pastores, persistite, in amoris studio continuo conspirate: tota sanctae operationis vestrae machina in caritatis se basibus erigat, omne quod construitis aedificium ex vivis virtutum lapidibus sinceræ dilectionis glutino coalescat. Tanquam filios ac fratres dilectissimos christifideles amplectate ac fovete, quo et ipsi vos tanquam patres suscipient, honorent amentque: sicque Pastor et oves, dux et militum uno catervae spiritu confederentur in exercitatione virtutum, ac adeo charitas [quae Deus est] abundanter diffundatur in cordibus vestris ut individuae unitatis inter vos teneat principatum. Christi, igitur, caritas diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut fideles sanctificando ac Christum habitare facientes in eis, Christi pace nobiscum ipsi exultentur, atque eorum ac coeterorum christiferas animas ad Eum deducere valebimus. *Vere magnus est qui magnam habet caritatem*<sup>4</sup>.

26. — In ecclesiastico Pastore charitatis fontes sic brevi complecti possumus:

a) Conscientiae debitum; nam ideo regiminis cathedram ipse conscendit ut charitatem in christifideles exercent, ut sanctae, nimirum, servitutis obsequium illis impendat. *Praelati, enim, dicuntur, sed magis subditorum sunt subditi; nec solum subditi, sed etiam servi,*

<sup>1</sup> In *I Reg.* Lib. V, cap. 3.

<sup>2</sup> *Sap.* VI, 19.

<sup>3</sup> Id. *ib.*, 26.

<sup>4</sup> *De Imitat. Christi.* Lib. I, cap. III.



et tot servitutum debitores, quot officia pro illis susceperunt<sup>1</sup>. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*<sup>2</sup>, Petrus Apostolorum Princeps Praesules monet: et *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*<sup>3</sup>; idest pro ipsorum utilitate: non vero constituitur propter gloriam, non propter cumulandas divitias, non propter consanguineos ditandos<sup>4</sup>. Si vero quis quae sua sunt quaerit, non est Pastor, sed mercenarius<sup>5</sup>. At si charitatis afflamine haud Pastor conlustretur, immo incendatur, nullo modo egoismi sensus devitare ipse valebit, quae ne ipse serviat christifidelibus propter Deum, nec ideo sui laboris praemium ac sanctae servitutis remuneratorem Christum ipse habeat, omni nisu impediunt. *Quamdiu uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*<sup>6</sup>, Pastori esse dictum putare debemus: nam Conditor Noster revera Praepositos quasi filios diligit cum eorum subditos tanquam patres natosque ipsi diligunt, et ipsi tanquam Patrem amant, dum per sollicitudinis affectum istis iunguntur. E contrario, *qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur*<sup>7</sup>.

b) Dilectissima Ecclesiae pars christifideles sunt, quibus illud Servatoris Nostri *Vos amici mei estis*<sup>8</sup> dictum esse putare debemus. Eius sancta spes, subsidium, falanges, columnae, decus ornamentumque ipsi sunt, circa quos materna Ecclesiae sollicitudo ac pene infinitus amor, tam multa tantaque operatur ut vere morigerati, ac vere sancti, in civilis societatis horto crescant et, uti lilia suavissimum [in tempore] odorem suum in Ecclesia ac dilecta paroecia effundant. Pater proinde sit Pastor, inferiores filii, et amorem hunc mutuo fovebunt, se illius radiis mutuo accendent, et tanquam mutuis suppositi ignibus in flammam exurgent, nullo adversantium flumine exstinguendas.

c) Christifideles odio saeculo sunt, quum de omni christiana plebe et populo sancto Dei legimus scriptum, *quia vos de mundo non estis, propterea odit vos mundus*<sup>9</sup>. At Pastores ad christifidelium omnium patrocinium ab Ecclesia constituuntur, et per mare rubrum eos transfereundo et per caritatis aquam transvehendo illos, ab aegyptiaca servitute iustos liberare, ab ira fratris profugos subtrahere, et ostendendo illis regnum Dei, et dando illis scientiam sanctorum per vias rectas sibi subiectos deducere, eorum conscientiae debitum exstat; quorum ideo labori

<sup>1</sup> Guliel. Parisiens. *De numer.* cap. 2.

<sup>2</sup> I. V, 2.

<sup>3</sup> *Ad Hebr.* V, 1.

<sup>4</sup> S. Thom. II, II<sup>ae</sup>. q. 28.

<sup>5</sup> *Id.* *Ibid.*

<sup>6</sup> Matth. XXV, 40.

<sup>7</sup> *Prov.* XXI, 13.

<sup>8</sup> Ioan. XV, 14.

<sup>9</sup> *Id.* XV, 19.

caritatie praemium, claritatem aeternam promittit Deus, eorum vero nomen homines decantant, ac victricem manum filii laudant.

27. — Quae charitatis qualitates sint [generaliter] Apostolus indigitat, scribens: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet*<sup>1</sup>. Enimvero, caritate flagrante, Pastor:

a) Patiens ac benignus est, quia christifidelium defectus patienter tolerat, ac ipsis ipsum offendentibus benigne parcat;

b) Non aemulatur aliorum bona terrena, cum coelestia solum meditetur;

c) Non agit perperam, quia cum solum in fideles propter Deum intendat, quidquid a rectitudine discrepet ignorat;

d) Non inflatur, quia cum aeternae retributionis praemium anxie Pastor desideret, de bonis exterioribus non se exaltat;

e) Non est ambitiosus, quia quae proximi ac Dei sunt tantum quaerit;

f) Non quaerit quae sua sunt, quia cuncta quae possidet tamquam aliena retinet, et nil sibi esse praemium putat, nisi quod secum permanet;

g) Non irritatur, quia in iniuriis lacessitus ad nullos se ultionis motus excitat, cum pro magnis laboribus, maiora post praemio expectet;

h) Non cogitat malum, quia in amore munditiae mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit;

i) Non gaudet super iniquitate, quia cum sola dilectione erga omnes inhiat, nec de adversantium perditione exultat;

l) Congaudet autem veritati, quia cum ut se ipsum coeteros diligit, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de proprii profectus argumento hilarescit;

m) Omnia suffert, omnia sustinet, quia non in hominibus, sed in Deo confidit, qui eum ab inimicorum manibus liberare potest.

Opportune recteque a quodam audivimus hisce Apostoli verbis omnia contineri, de quibus conscientiam suam quemlibet christianum virum, maxime verum ecclesiasticum Pastorem, percontari quotidie oportet. — Sed, ad rem nostram aptius, et aliae ecclesiastici Praepositi charitatis qualitates recensendae sunt quae, sequenti in paragrapho recolemus.

<sup>1</sup> I Corinth. XIII, 4.



§ II. — De caritatis in bono Pastore  
peculiaribus qualitatibus, effectibus ac generali praxi.

SUMMAE RERUM. — 28. Quae peculiare boni Pastoris caritatis qualitates esse debeant. — 29. Eius effectus recoluntur. — 30. Generale ac peculiare, spirituale ac materiale huius virtutis obiectum illustratur. — 31. Quomodo consolatoris munus Pastor bonus gerere possit.

28. — Apostolus ipse peculiare Pastoris caritatis qualitates ad vivum pingit monendo: *charitas de corde puro, de conscientia bona et fide non ficta*<sup>1</sup>. Sit, igitur, Pastoris caritas:

a) De corde puro, ita, scilicet, ut fideles solum propter Deum ipse amet, qui *diligit omnia quae sunt, et nihil odit eorum quae fecit, nec odians aliquid constituit aut fecit*<sup>2</sup>; qui miseretur omnium et hominum, peccata propter eorum salutem, dissimulat: qui parcat omnibus quia Dei sunt qui amat animas; qui, tandem, uno in paterno amplexu omnes coagmentat, ut aeternum amoris caritatisque canticum omnes in perpetuo canere valeant. Non, igitur, propter aliquod temporale quod in subditis insit amandi ipsi sunt, quum *si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omnia quae sunt in mundo concupiscentia est*<sup>3</sup>. Non idcirco, ex. gr., ob pulchram speciem, vel generis nobilitatem, ob fortunarum copiam christifideles diligendi, sed amore divino, scilicet, in Spiritu Sancto, quae cum sit *quaedam emanatio caritatis Omnipotentis Dei sincera, ideo nil inquinatum in ea incurrit*<sup>4</sup>. Secus, enim, non caritas, sed carnalitas erit, qua christifidellum corda arescunt, et ambos in politicae ruinam pertrahuntur; tum, enim, inconstantiae, tum personarum acceptationes suboriuntur. At vera caritas passionibus obsistere et in latitudinem amoris extendere se novit, quo *non unum plus amat quam alium, nisi quem in bonis actibus, aut obedientiam invenerit meliorem*<sup>5</sup>. Enimvero Pastor bonus ita paroeciae se habet ut corpori cerebrum qui totum movet, uti sol qui lucis suae radios tum super bonis, tum super malis diffundit, ut caput cui omnia corporis membra, aequali ratione, cara sunt. Omnes, enim, Filii Dei, Sanctaeque Ecclesiae spem, Sanguinis Christi pretium christifideles sunt, ac de omnibus [tremenda iudicii in die] districtam rationem reddere Pastor debet. Nam *iudicium durissimum his qui praesunt fiet*<sup>6</sup> legimus scriptum; nimirum [ut Sancti

<sup>1</sup> I Timoth. I, 5.

<sup>2</sup> Sapient. XI, 25.

<sup>3</sup> Ioan. II, 2.

<sup>4</sup> Sap. VII, 25.

<sup>5</sup> S. Benedict. in Regul. cap. 2.

<sup>6</sup> Sap. VI, 6.

commentantur Patres] *durum si non bene rexerint se ipsos, durissimum si non bene rexerint familiam propriam*<sup>1</sup> eorum apostolicis concreditam curis. *Gratia, igitur, absit, causam merita decernant*<sup>2</sup>.

b) De conscientia bona, idest non solum bonum testimonium sui ipsius ad se Pastor habere debet, nimirum, quod secundum Dei legem vivit, sed etiam suorum subditorum qui videntes illius opera bona, de eis, bene operando, bonum testimonium perhibeant.

c) Fide non ficta, idest sincera, ea nimirum sinceritate quae ex corde puro bonaque conscientia dimanat, quae, igitur, non labiis habenda summis, sed intimo fovenda corde. Nam *melius est, mihi videtur, praelaturae nullam charitatem habere quam fingere*<sup>3</sup>; et merito, quum ficta et commenticia nil deterius charitati haberi possit, quae potiusquam caritas, velamentum malitiae est. *Abominatio Domini est omnis illusor*<sup>4</sup>; *ne fueris hypocrita in conspectu hominis, et ne accesseris ad illum duplici corde*<sup>5</sup>. Secus, enim, loco fiduciae, adeo diffidentia odiumque fidelium in cordibus germinabunt, ut ipsi obedientiae hypocrisi, caritatis hypocrisi vices eis rependant. Haec, igitur, caritatis perniciis ab ecclesiastico regimine absit, oh! procul absit, et sincere fortiterque a Pastore christifideles diligantur semper. Materna, itaque, induat viscera uberaque Parochus, et quos filios aegritudo premat sive illa corporis, sive animi fuerit, filios illos cogitet et se matrem, quo, nullo negotio, multorum medebitur malis. Numquam sudoribus parcat, genuinum affectum deponat patris umquam, umquam matris: quod si senserint sibi que persuaserint inferiores, nil tam durum asperumque erit, nulla tam fortia medicamenta, nil tam acerbum quod lubens hilarique vultu a paterna non haurient manu; quod si a patre matreque propinata fuerint, ante in salutem temperata, nec cruda in interitum porrecta scient. *Nulla, enim, est maior ad amorem invitatio quam praevenire amando*<sup>6</sup>.

29. — Charitatis generales effectus recolere nunc praestat ex quibus eius qualitates [uti ex causis] magis magisque dignoscere licet. Est, enim, in charitate *spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefacens...*, *omnem habens virtutem, omnia prospiciens et qui capiat omnes spiritus; in se permanens, omnia innovat et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas*

<sup>1</sup> Apud Casini, *Quaresimale*, Vol. II, Conc. 14.

<sup>2</sup> S. Ambrosius, *De Officiis* Lib. II, cap. 4.

<sup>3</sup> S. Petr. Damian., *Sermo* 162.

<sup>4</sup> Prov. III, 32.

<sup>5</sup> Eccles. I, 36.

<sup>6</sup> S. Augustin. *De catechizandis rudibus*, Cap. 4.



constituit<sup>1</sup>. Ad rem nostram vero quod pressius attinet, charitatis in Pastore effectus ita indigitare possumus:

a) Gaudium seu actus amoris et charitatis quo Pastor in ordine ad Deum fideles diligens, cum videt eos mandata Dei observare, Deum timere, in Domino sperare et de receptis donis gratias agere, in Domino gaudet. *Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit laetabitur in eo*<sup>2</sup>.

b) Pax mirabilis charitatis effectus habetur, nam tum Praepositi, tum christifidelium corda unum efficiunt, quo malae discordiae semina a paroecia repelluntur, quibus infandam ruinam parant. Pace, e contrario, ipsae in coelestem patriam fere commutantur, et quae huius sunt dulcissima gaudia, heic in terris praegustantur. Ad pacem vero conservandam omni nisu Pastores contendere debent, quia ad hoc ipsi constituti sunt, qui omnia sui officii munera adimplentes, *fili Dei vocantur qui pacem efficiunt*<sup>3</sup>. Profecto, enim, primigenia rectaque pastoralis regiminis idea est ut Pastor pie, iuste ac sapienter fideles in concordiam ac felicitatem coagmentet, et ipsos inter discordiae tollere causas sapientis Praepositi praecipuum, at in praxi perarduum, munus exstet.

c) Misericordia inter Pastoris charitatis effectus recensenda quoque est, qua non tantum iustitiae, sed et compassionis ministerium nostros in subditos exercere valeamus. *Neque, enim, ullus omnino cultus Deo perinde gratus est ut misericordia, quandoquidem nec aliud quidquam est quod Deo magis conveniat*<sup>4</sup>. Patris, igitur, immo matris viscera Pastor induat, et misericordiam abundantem subditos erga copiose adhibebit, qua non ipsius tantum, sed et paroeciae sibi abundantior fructuum copiam cumulabit. *Benefacit animae suae vir misericors*<sup>5</sup>, *qui solus est bonus Rex*<sup>6</sup>.

d) Beneficentia uti primus effectus externus charitatis, nil aliud est quam internae actus charitatis qua subditis nostris propter Deum benefacimus. Quod et pastoralis regiminis officium est, quum ad hoc Omnipotens Deus [obedientia mediante] ad animarum curam Pastorem vehat, ut per eum omnibus quibus praeficitur pietatis charitatisque sua dona largiter impendat. Enimvero qui reapse amat, indesinenter beneficat, et quidquid diligitur, magna cum devotione portatur. Solasse

<sup>1</sup> *Sapient.* VII, 22, 23, 27.

<sup>2</sup> *Prov.* XXXIII, 24.

<sup>3</sup> *Isai.* XXIX.

<sup>4</sup> *Ad Roman.* X, 15.

<sup>5</sup> *S. Greg. Naz., De pauper. amor.*

<sup>6</sup> *Prov.* XI, 17.

<sup>7</sup> *II Mach.* I, 24.

tristes, adiuvasse debiles, uno verbo, omnibus profuisse miseris, hoc Pastores habent magnificum et ingens, nulla quod rapiet die. Quod si paterne materneque egerint, vere adeo pertransient benefaciendo ac sanando omnes a languoribus ac infirmitatibus suis ut et de eis Davidis illud dictum ingeminari licebit: *qui pascis populum meum Israel*<sup>1</sup>.

e) Correctio qua delinquentibus paterne subveniendo, eos ad meliorem recipere frugem contendimus. Ad destruenda, enim, subditorum vitia ille tantum Pastor pervenire potest qui ipsos subiectos magna charitatis affectione demulcet, qua, dum convenienter gratiae foris porrigit, manus intus ad incidendum mentis languorem mittit. Moneat itaque Pastor, sed ut Pater; medicamenta aegris adhibeat sed ut Pater, ubique et omnibus Pater, mater, amans!

30. — Charitatis in animas Curatori obiectum, in generale et peculiare dispesci potest:

A) Generale obiectum, tum suos Superiores, tum aequales, tum inferiores esse dicimus. Quum vero hisce in relationibus non charitatis tantum, sed et prudentiae praecepta servanda sint, ut, antequam de re peculiari ratione agamus, de Pastoris prudentia primum disse-ramus rectus tractationis ordo requirit.

B) Peculiare charitatis Pastoris obiectum [quoad fideles] tum spirituale, tum materiale dispertiri possumus. Idcirco:

a) Obiectum spirituale [Pastor meminerit] totius sui regiminis finem complectens, ad quod continuo in omnibus ac per omnia anhelare debet, sequentibus in proverbiiis contineri potest:

I) Non amat qui non vigilat,

II) Non amat qui non praevidet,

III) Non amat qui non se emendat,

IV) Non amat qui non corripit,

V) Non amat qui non consolatur.

In his omnibus [uti per se patet] universa pastoralis regiminis summa [inferius illustranda] continetur, quam heic innuisse satis erit.

b) Charitatis Pastoris obiectum materiale [ad christifideles quod attinet] ita indigitare possumus:

I) Eorum animi ac corporis conditionibus Praepositus se aptet, ac quin prius quae ipsae revera sint perspectas habeat, nil agat. De quibus plura infra dicemus.

II) Pauperes ac aegros amet, adiuvet, soletur; qua ratione

<sup>1</sup> *II Reg.* V, 2.



[veri Patris ad instar] dum officio suo omnino satisfacit, subditorum corda [indissolubili ratione] sibi devinciet. Et de hoc alibi<sup>1</sup>.

III) Christifideles inter [modo ac ratione servata] Pastor saepe versetur, quo eos dignoscere facilius possit, ac melius adiuvere valeat.

IV) Christifidelibus praesto ipse sit, benevolo recipiat modo, attente audiat, in quantum fieri potest eorum precibus adnuat, [immo, interdum, eos praevieniat], ac si emendatione egent, dum est lingua correctionis, sit et consolationis.

31. — Omnibus hisce in adiunctis [inferius enucleandis] adeo semperque insistere oportet Pastor ut quem *non solet, quem non sublevet nemo habeatur*<sup>2</sup>, Sapientia suadente: *non desis plorantibus in consolatione*<sup>3</sup>. Quo et Dominum Praepositus imitabitur qui *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*<sup>4</sup> dicitur; quod et Iob servasse traditur qui, *cum sederet quasi circumstante exercitu, erat tamen moerentium consolator*<sup>5</sup>. Quantum ex hac agendi ratione [dum christifideles ab ubere Pastoris consolationis caritate replebuntur], eius in paterno pectore suorum animorum secreta, poenas aerumnasque ipsi versare incitentur [quo ipsorum animae, peculiaribus necessitatibus promptius aptiusque Pastor consulit], nemo dixerit! Quantum paternae Parochi adhortationes, commiserationes consolationesque ex corde puro ac charitate non ficta manantes, ad animarum tergendas lachrymas, ad dira sustinenda, ad maiora incitanda, et ad eos quoquomodo materne sublevandos valeant enarrabit nemo! Huic, igitur, sui muneris praecipuae parti sedulo, patienter, amantissime Pastor consulat, et ad hoc cum afflictum subditum a moerore suspendere intendit, prius moerendo, eius afflictioni concordare studeat. *Dolentem, namque, non potest consolari qui non concordat eius dolori: quia eo ipso quo a moerentibus afflictione discrepat, minus ab illo recipitur a quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus ut afflictio congruat, congruens inhaereat, inhaerens trahat. Neque, enim, ferrum ferro coniungitur, si non utrumque exustione ignis liquatur*<sup>6</sup>. — Attamen heic quoque ne quid nimis, ac Pastor moerentem filium solare cupiens, ne non solum dolentem non mulceat, sed [intemperanter dolens] afflictum animum ad desperationis pondus adducat, dolori quod suscipit mensuram ponat necesse est. Sic, enim, Pastoris dolor moerentium iungendus est, ut per temperamentum sublevet, non autem

<sup>1</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Aegri Infirmi*.

<sup>2</sup> Pius PP. X, *Encycl. E Supremo*, 4 oct. 1903.

<sup>3</sup> *Eccles.* VII, 38.

<sup>4</sup> II Corinth. I. 3.

<sup>5</sup> XXIX, 25.

<sup>6</sup> S. Gregor. Magn., *Moral.* lib. III, cap. 12.

per augmentum gravet. — Amantissimi, igitur, Patris, suavissimae immo Matris ad instar, subditorum tuorum *diem moeroris et luctus verte in gaudium*<sup>1</sup>, quo, *dum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux et tenebrae tuae erunt sicut meridies, et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam...*, et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum cuius non deficiet aquae<sup>2</sup>. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*<sup>3</sup> ecclesiasticis praesertim Pastoribus ait Dominus. Verba, igitur, Patris habe, ubera matris habe!

#### Articulus V.

##### DE BONI PASTORIS FORTITUDINE.

SUMMAE RERUM. — 32. De huius virtutis in Pastore necessitate. — 33. De fortitudine cum caritate unienda. — 34. Quae in re generalis praestitui norma possit. — 35. Fortitudinis in regimine actus qui sint. — 36. Peculiare huius virtutis obiectum recolitur ac illustratur. — 37. In publicis Ecclesiae persecutionibus quomodo se habere Pastor debeat.

32. — Fortitudinis in ecclesiastico Pastore necessitas ex his omnibus quae hucusque recolimus, ac de prudentia et iustitia mox recolemus aperte evincitur; adeo, enim, virtutes caeterae a fortitudine custodiuntur tuenturque ut eam habens, rectas per semitas incedere possit; qui ea caret, fere necessario, ad peccatorum itinera declinare cogitur. Quod si in omnium vita [in qua, ut huius terrestri exsiliu vicissitudines aerumnasque apte perferamus, fortitudo cunctis necessaria est] in pastoralis condicione praesertim, in qua non tantum pro se, sed et pro christifidelibus et ipsos contra decertare Pastores tenentur; ad quod observantiam colentes, fortes ad pericula, rigidiores adversus voluptates, ac duri contra illecebras se habere oportet. Quum vero Servatoris Nostri Sanctorumque omnium indesinenter calcare vestigia boni Pastoris sit [qui eorum in sanctis exemplis cernit quod cavet, et conspiciat quod agat] hac quoque in re eos imitare oportet. At tum Servator Noster, tum Apostoli [ut monuimus mox] hanc coluisse virtutem Sacrae testantur Litterae. Nec Moyses, Elias, Daniel, Nathan ac Stephanus secus egere, qui Dei spiritu repleti [qui fortitudinis spiritus est] non humilibus tantum, sed et Potentibus [uti Pharaoni, Acabbo, Nabucco, Davidi, ac

<sup>1</sup> II Corinth. V, 18.

<sup>2</sup> Isai. LVIII, 10, 11, 18.

<sup>3</sup> Matth. XXV, 40.